

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 833

**Auteur(s) :** Robert de Caen, Gloucester (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1146, septembre

**Lieu d'émission :** Devizes

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert de Caen, comte de Gloucester, fait connaître l'accord fait entre lui et Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux, au sujet de certains fiefs que réclamait cet évêque comme appartenant à son église cathédrale.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XLI, t. 1, p. 48-50.

b. Cronne Henry Alfred, Johnson Charles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum 1066-1154*, vol. 2, *Regesta Henrici primi 1100-1135*, Oxford, Clarendon Press, 1956, n° 58, p. 22-23.

Texte établi d'après a

Robertus, regis filius, Glocestriæ consul, dapifero suo, et omnibus baronibus suis, et amicis, atque fidelibus suis Normanniæ, salutem. Sciatis me clamas quieta Philippo, Baiocensi episcopo, tota feoda Ilberti et Gilberti de Laceio, quæ de Baiocensi ecclesia et de episcopo tenebant apud Laceium, et apud Campels, vel alibi, præter meum proprium feodum, et molendinum de Crevequor, quod comes Rannulfus apud Baiocas de episcopo tenebat. Clamo etiam ei quietum hoc quod habebam apud Anaerias, de dono Ricardi, Samsonis filii, Baiocensis episcopi : scilicet, feodum Malleurer, et totum feodum quod Eudo dapifer tenuit apud Sanctum Clarum, præter meum proprium feodum, et nominatim feriam, et totum feodum quod idem Eudo dapifer tenuit apud Mattonum, vel in ejus pertinentiis de Baiocensi ecclesia. Et ut episcopus hoc feodum de Mattono prædictum bene, in pace, atque quiete, per quinquennium teneat, ego Robertus, comes Glocestriæ, auxiliabor illi pro posse meo erga ducem Normanniæ, absque meæ pecuniæ donatione, et sine guerra facienda. Et quando hæres Eudonis dapiferi hereditatem suam recuperaverit, de Baiocensi ecclesia et de episcopo hæc prædicta feoda in capite tenebit. Et hæc ideo eidem Philippo, Baiocensi episcopo, clamo quieta, quia ipse mihi concessit tenere, dum vixerit, cum honore meo de Hebreceio, terram Rogeri Suhardi, unde loqua inter me et episcopum fuit, et terram Rogeri Malifiliastri quam Ricardus, Samsonis filius, Baiocensis episcopus, michi dedit concessu Baiocensis capituli et regis Henrici, et unde habet cartam ejusdem Ricardi episcopi, et capituli, sigillo eorum sigillatam, salva (sic) omni servitio quod tota prædicta terra debet Sanctæ Mariae Baiocensis ecclesiae facere. Sciatis quoque quod idem Philippus, Baiocensis episcopus, mihi concessit tenere terram quam Rannulfus, comes Cestriæ, de eadem Baiocensi ecclesia tenebat, salvo servitio ipsius Baiocensis ecclesiæ, donec talis hæres adveniat quem dux Normanniæ justum hæredem ipsius Rannulfi, comitis Cestriæ, recognoscat. Et postea, idem hæres eandem terram de ecclesia Baiocensi et de ipso episcopo in capite teneat. Et hii sunt testes ex parte comitis Glocestriæ : Reinaldus, comes Cornubiæ ; Stephanus

de Mannavilla ; Geufridus de Waltervilla ; Osbernus Oitd..., Radulfus de Hast... ; Walchelinus Maminot ; Stephanus de Bello Campo ; Ricardus de Humetis. Et hii sunt testes ex parte episcopi: Herbertus, cantor ; Gilbertus, prior de Ardena ; Willelmus, custor ; Hunfridus et Paganus, clerici ; Walchelinus Maminot ; Ricardus de Humetis ; Robertus, filius Exuperii. Et ista compositio et concordia inter episcopum et me facta est, apud Divisas, in præsentia Mathildis imperatricis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, in mense septembri.